Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Andreae Alciati Emblemata

Alciati, Andrea

Patavii, 1661

Reuerentiam in matrimonio requiri. Emblema CXCII.

urn:nbn:de:bsz:31-127360

Visual Library

Rutilia monumentum. *Rutilia primitiua coniugi ſuæ dulciſſimæ, cum qua vixit annis 20. ſine bile.* Viſum fuit coronidis loco adiungere aliud planè diuerſum epitaphium, quod Romæ legitur, ex quo apparet, quàm pauci gloriari potuerint, ſe ſine bile & lite in coniugio vixiſſe. Eſt autē hęc inſcriptio ſatis lepida: *Lepidum epitaphium.* *Heus viator, miraculū. Hic vir et vxor non litigant: qui ſimus non dico. At ipſa dicam: Hic Bebrius ebrius me Bebriam ebriam nominat. Non dico amplius. Heu vxor, etiam mortua litigas?* Huc referri poteſt *Pithecî pactum.* pactum Pithecî, quod, vt in Suidæ hiſtoricis refertur, in prouerbium abijt, & tale fuit: Continenter cum vxore iurgans coram amicis pepigit, ſe neq; verberare, neque vapulare; neq; mordere, neq; morderi; neq; mulierem capillis trahere, neque ab ea teſticulis trahi velle. Quamquam aliquando etiam viri ipſi ſunt in culpa, dū aut pecuniæ cupiditate aut ambitione capti, præcipitantur in nuptias, neſcientes, nobilitatis & amplę dotis duo peſſima mala ſocia eſſe, vxoris ſuperbiam, & viri ſeruitutem, de qua re alibi.

Reuerentiam in matrimonio requiri.

EMBLEMA CXCII.

CVM furit in Venerem, pelagi ſe in littore ſiſtit,
Vipera, & ab ſtomacho dira venena vomit:
Murænamq; ciens ingentia ſibila tollit,
At ſimul amplexus appetit illa viri.

Maxima debetur thalamo reuerentia: coniux
Alternum debet coniugi & obſequium.

COMMENTARII.

I. *Viperæ conſideratio.* VIPERA in litore ore aperto virus euomit, ad quam adnatat ex propinqua aqua muræna. Eſt autem vipera nequiſſimum ſerpentis genus, longitudine cubitali, & ſæpe prolixiore, colore ſubflauo, pluribus conſperſa maculis rotundis. *Mas.* Mas Græcis dicitur ἔχις, caput habet anguſtum & acutum, collum craſſius & reliquum corpus tenuius quàm fęmina. Paulatim illi cauda gracileſcit, aliarũ ſerpentum ritu, non aceruatim vt fœminæ, quæ ἔχιδνα dicitur. Squamas habet ad extremum caudæ aſperiores, quas ira percitus ſubrigit, non aliter quàm gallinaceis iratis plumę inter pugnandum rigent. Illi etiam dentes canini ſunt duo, fœminæ plures. Eidem adhuc eſt meatus in cauda, ventri propinquior, contrà quàm in fęmina, cui ille ad extrema caudæ proprius accedit; inceſſus quoq; mari alacrior. *Fœmina.* Viperæ fœminæ ſubrufæ ſunt, elata ceruice, oculis ſubrubentibus & lucentibus, inuerecundi & feri intuitus. Caput habent latiuſculũ, caudam breuem & excarnem, & ſquamis durioribus aſperam, nec paulatim gracileſcentem, ſed ſimul & vniuerſim: meatumque ſuum habent ad caudam proprius accedentem, ventrem prominulum, & inceſſum tardiorem. *Muræna.* Muræna verò, lampetræ (quæ à lambendis petris hoc nomine appellatur) forma figuraq; corporis eſt affinis, licet magnitudine impar; piſciculus eſt lubricus, lõgo tereriq; corpore, minutis anguillis aſſimilis, ſeptem foraminibus læua parte diſtincta. An itaq; tam vipera quã muræna hic probè ſint expreſſæ, reliqui iudicent.

II. *Fons Emblematis.* BASILIVS Magnus in Hexaemero Oratione 7. ita fermè ex anguis & murænæ congreſſu, quales coniugum mores eſſe debeant, oſtendit: Vos ô viri, coniuges veſtras diligite, etſi locis lõginquis ſemoti in coniugij ſocietatem conueniſtis, naturæ vinculum legibus ac benedictione obſtrictum, vnio ac iugum diſtantiũ eſto. Vipera genus ſerpentum omnium exitioſiſſimum, murænæ marinæ nuptias expetit, & ſibilo ſuo ſignificat præſentiã, eamque è gurgite vaſto inuitat ad nuptiales complexus; illa autem obtemperat & coit cum venenato. Quid hæc mea ratio vult? quid portendit? Siue aſper eſt cuiuſpiam coniux, ſiue feris moribus, perferat illum vxor neceſſe eſt, nec vllã prorſus ob cauſam ſocietatem vinculũq; diſſoluere patiatur. Feritne, verberat, eſtq; percuſſor? At vir tamen tuus. Temulentus? At tibi eſt natura coniunctus. Durusne? moroſus & implacidus? At membrum iam tuum eſt, & membrorum præſtantiſſimum. Audiat & ipſe vir accomodatam, ſeq; decentem admonitionem. Vipera virus ob nuptiarum venerationẽ euomit: tu duritiem animi, tu ferocitatem, tu crudelitatem ob vnionis reuerentiam non deponis? Græca ſi quis malit, propter viri tanti autoritatem huc placet adijcere: ἔχιδνα τὸ χαλεπώτατον τῶν ἑρπετῶν, πρὸς γάμον ἀπαντᾷ τῆς θαλασσίας μυραίνης, καὶ συρίγματι τὴν παρουσίαν σημήνασα, ἐκκαλεῖται αὐτὴν ἐκ τῶν βυθῶν πρὸς γαμικὴν συμπλοκήν· ἡ δ' ὑπακούει καὶ ἑνοῦται τῷ ἰοβόλῳ. τί βούλεταί μοι ὁ λόγος; ὅτι κἂν τραχὺς ᾖ, κἂν ἄγριος τὸ ἦθος ὁ σύνοικος, ἀνάγκη φέρειν τὴν ὁμόζυγα, καὶ ἐκ μηδεμιᾶς προφάσεως καταδέχεσθαι τὴν ἕνωσιν διασπᾶν· πλήκτης; ἀλλ' ἀνήρ. πάροινος; ἀλλ' ἡνωμένος κατὰ τὴν φύσιν. τραχὺς καὶ δυσάρεστος; ἀλλὰ μέλος ἤδη σὸν, καὶ μελῶν τὸ τιμιώτατον. ἀκουέτω δὲ καὶ ὁ ἀνὴρ τῆς προσηκούσης αὐτῷ παραινέσεως. ἡ ἔχιδνα τὸν ἰὸν ἐξεμεῖ αἰδουμένη τὸν γάμον· σὺ τὸ τῆς ψυχῆς ἀπηνὲς καὶ ἀπάνθρωπον οὐκ ἀποτίθεσαι αἰδοῖ τῆς ἑνώσεως; ἢ τάχα καὶ ἑτέρως ἡμῖν τῆς ἐχίδνης ὑπόδειγμα χρησιμεύει, ὅτι μοιχεία τις ἐστὶ τῆς φύσεως ἡ τῆς ἐχίδνης καὶ μυραίνης ἐπιπλοκή; διδαχθήτωσαν οὖν οἱ τοῖς ἀλλοτρίοις ἐπιβουλεύοντες γάμοις, ποταπῷ εἰσιν ἑρπετῷ παραπλήσιοι. *Viperæ & murænæ cõgreſſus.* Id Minos ita vertit: *Vipera, infeſtiſſimum animal eorum, quæ ſerpunt, cum marina muræna congreditur ſibiloq; ſe adeſſe ſignificans, ex profundo eam ad concubitum euocat: hæc autem morem gerit, & cum venenata beſtia copulatur. Quorſum hæc ſpectat oratio? Vt intelligamus, ſi duris & feris moribus*

bus ſit vir, eum eſſe vxori ferendum, nec cõiugum vlla ex cauſſa dirimendum. Obiurgator eſt? at vir: vinolentus? at naturæ lege coniunctus: durus & moroſus? at iam membrum tuum eſt, atq́; omnium præſtantiſſimum. Audiat etiam vir monitionem, quæ ad ipſum pertinet. Vipera virus euomit, reuerentia coniugij: tu animi inclementiam & inhumanitatem, coniugalem copulam ueritus, non depones? An aliam etiam nobis vtilitatem adfert viperæ exẽplum, quòd adulterium quoddam eſt naturæ viperæ atq; murænæ concubitu? Diſcant igitur ij, qui in aliena coniugia inuadunt, cuiuſmodi beſtiæ ſint ſimiles. Hæc ferè Baſilius.

Orus Apollo. Orus Apollo ſic ait: Hominem cum alienigenis coeũtem ſignificare volentes, myrenam piſcem pingunt. Hæc enim è mari egreſſa viperis admiſcetur, ac ſtatim ad mare recurrit. Confirmãt hãc opinionem grauiſſimi auctores, Oppianus lib. 1. Halieutic. Athenæus lib. 7. Ælianus lib. 1. de animal. cap. 50, & lib. 9. cap. vlt. & lib. 12. cap. 5. & 23. Plinius lib. 9. cap. 23. Cœl. Rhodigin. lib. 6. cap. 13. & 16. & Nicander in Theriacis, vbi multa hac de re ipſius ſcholiaſtes.

III. *CVM ſurit in Venerem*] cum rapitur ardore coitus, dum coitum appetit, æſtuque libidinis agitur.

Se in litore ſiſtit] ad litus progreditur. Quod tamen quibuſdam ambiguum ſit. Vide Cœl. Rhodigin. lib. 6. cap. 16.

Viperæ partus & fœtus qualis. *Vipera*] A vi pariendo dicta, vel vt alij malunt, quod viuum pariat: vt Græcis Echidna, παρὰ τοῦ μὴ ἔχειν ἐν ἑαυτῇ τὴν γονὴν ἄχρι θανάτου. Refert enim Herodotus in Thalia, quòd in concubitu mas in os fœminæ caput inſerit: at illa poſt rem peractam illud præcidit, mox paritura diſrumpitur: nec niſi effractis lateribus erumpunt nati, quos paritura eſt. Nam non oua, vt plerique ſerpentes, ſed catulos fermè viginti parere dicitur. Ergo non niſi parentum cæde fœtus in lucem prodeunt. Ferunt autem ita cauiſſe naturam, ne tam noxij animalis ſpecies ſupra modum augeſceret. Ait enim Solinus viperam inſanabili eſſe morſu, eiuſq; venenum, vt vult Albertus, apprimè calidum eſt, ideoque magis noxiũ. Lege Plin. lib. 10. c. 62. Ariſtotelem 5. de hiſtor. animal. vbi habetur viperã oua quidem procreare piſciũ ouis ſimilia, ſed intra ſe tantùm, tantumq; viuos catulos parit membranis inuolutos. Euenit autem aliquando, vt poſteriores quærentes exitum, & impatientes moræ diuturnioris, erodant veterum & latera matris, ſicq; matricidæ prodeunt. Raró tamen id contingit; vt nunquam accidiſſe certum eſt, marem in coitu caput in os fœminæ inſerere, eamq; illud voluptatis dulcedine vehementiùs commotam truncare. Vide Cœl. Rhodig. loco citato.

Ab ſtomacho dira venena vomit] hoc eſt, omnem iram & indignationem deponit.

Muranamq́; ciens.] De muræna Plinius lib. 9. quo nomine lampetrã intelligi pridem exiſtimauerat Minos, ſecutus quorundam opinionem: à qua eum facilè reuocauit ipſius amicus Ioan. Frater vir exacti iudicij; ſiquidem lampetra, muræna fluuiatilis appellatur, ſed propter ſimilitudinem, quam habet cum Pliniana muræna, non quòd eadem ſpecie dici debeat: nemo enim vnquam in dubium reuocauit, quin mas eſſet in lampetrarum genere; & cum fœminis non difficiliùs & rariùs capi. Is veró captus, nunquam viſus eſt dentes habere extra os, quod vult Ariſtoteles. Itaq; id intelligendũ de murænis carniuoris, præſertim cùm Plinius c. 23. lib. eiuſdem 9. tradat in murænis documentum ſæuitiæ Vedium Pollionem Romanum inueniſſe, qui viuarijs murænarum damnata mancipia immergeret, ac ſi ad id terrarum feræ non ſufficerẽt. Quod lampetræ non poteſt accommodari. Neq; etiam idem nomen vtriq; conuenit, nam Muræna dicitur etiam Myræna, & Smyræna, Latinis Fluta, Hiſpanis *Morena*, Belgis *PricKen*, quibus hi exiccatis & accẽſis facis aut tædæ ardentis vice vtuntur, vt ſcribit Lemnius de occult. natur. miracul. lib. 4. cap. 11. Sed lampetra, etiam muſtela, & myrænæ fluuiatilis vocatur, vt probat auctor Cornucopiæ; Hiſpanis *Lãprea*. Verba Pliniana ſunt hæc ex lib. 32. cap. 2. Licinius Macer, murænas tantùm fœminei ſexus eſſe tradit, & concipere è ſerpentibus, ob id ſibilo à piſcatoribus tanquam ſerpentibus euocari & capi (quod in lampetris non contingit.) Quam ipſe ſententiam refutarat antè lib. 9. his verbis: Muræna quocunque tempore parit, cùm cæteri piſces ſtato tempore pariant. In ſicco littore elapſas vulgus coitu ſerpentium

Murenæ & lãpetra non ſunt idẽ.

Murænas ſibilo allici et capi.

impleri putat. Ariſtoteles myrum marem appellat, qui generat: diſcrimẽ eſſe, quòd Muræna varia & infirma ſit, Myrus vnicolor & robuſtus, denteſque extra os habeat.

Sibilus. *Sibila tollit*] Sibilus in ſingulari maſculinũ eſt, in plurali plerumq; neutrum, & eſt oris ſonus, qui compreſſis dentibus, & labris parum diductis fieri ſolet.

Maxima debetur thalamo reuerentia] Imitatus eſt illud Iuuenalis è Satyra 14.

Maxima debetur puero reuerentia, ſi quid
Turpe paras.

Cõiunx, & cõiux. *Coniunx*] Nomen coniunx à Priſciano ſcribitur coniunx, à coniungo: Phocas expungit n, ante x, & ſcribit Coniux, à verbo Coniugo. Sic etiam Feſtus Coniuges vocat, quaſi eiuſdem iugi, ὁμόζυγοι. & tã de viro, quàm de vxore dicitur. Vxor verò eſt nomen dignitatis, inquiebat alio sẽſu l. Verus Aug. Et hinc vxores dominæ dicebãtur, honorifica in ſpeciem appellatione. Epictetus Enchiridij cap. 62. Iuriſconſulti alicubi. Virgilius in 6.

Hi dominam ditis thalamo deducere adorti.

Alternũ debet &c.] Idipſum eſt quod ait D. Paulus: Vxori vir debitum reddat, & vxor viro. Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: itemq; vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vxor. Diſputant auctores canonum, de reddendo à cõiugibus mutuo debito, tit. de diuortijs, lib. 4. Decretal. Martialis egregiè ac cordatè:

Scire ſuos fines matrona & fœmina debet,
Ne vagus à thalamis cõiugis erret amor.

At illud feſtiuè nimis, vt opinor:

Vxor, vade foras, vel moribus vtere noſtris. &c.

IV. *Amor cõiugalis qualis eſſe debet.*

AMOR coniugum ita mutuus ac purus eſſe debet, vt quanquam quidpiam ſit in altero quaſi virulentum, & alter nonnihil in animo rixarum alat, propter tamen ſacram coniugij, copulam ab altero debet euomi, & penitus eijci, prudentis ſerpentis exemplo, qui cum muræna congreſſurus priùs venenum euomit, ea verò ſibilo euocãti paret, & ad eum mox adnatat. Sic & coniugatos oportet cum amoris connubialis reuerentia mutua conuenire & coire, omni prius affectu malo ex animis eiecto, & ſimul cum veſtimẽtis depoſito. Si enim id obſeruent inſtinctu aliquo naturæ animalia ratione carentia, pudeat homines in hoc eſſe deteriores. Trebell. Pollio in triginta tyrãnis, vbi de Zenobia: *Zenobia.* Huius ea caſtitas fuiſſe dicitur, vt ne virum quidem paſſa ſit, niſi tentandis conceptibus. Sic enim Minos mauult legi, non vt in vulgatis: niſi tentatis conceptionibus. Claudianus lib. 2. de laudibus Stiliconis, qui alienus ab omni illicito complexu ſola coniuge vſus ſit:

Hinc fuit vt primos in coniuge diſceret ignes,
Ordiriq; virum non luxuriante iuuenta,
Sed cum lege thori, caſto cum fœdere vellet.

Apud Clementem Alexãdrinum vxor dicitur βοηθὸς τῆς οἰκουρίας. *ſocia & adiutrix operæ domeſticæ*, & ſortis vtriuſq; particeps, Et quid tam humanum, ait Vlpian. quàm fortuitis caſibus mulieris, maritum; aut contrà viri vxorem eſſe participem? *Germanorum coniugia.* Hoc etiam apud veteres Germanos vſitatum fuit, qui vxores tanquam laborum periculorumq; ſocias duxerunt. Fęmina autem viciſſim, vt Cornelij Taciti verbis vtar, vnum accipit maritum, quomodo vnum corpus, vnamq; vitam, ne vlla cogitatio vltrà, ne longior cupiditas, ne tanquam maritum, ſed tanquam matrimonium ament. Hoc etiam Theogona vxor Agathoclis apud Iuſtinum lib. 23, conſiderauit. Cúm enim ægrè à marito diuelleretur, nubendo ſe non proſperæ, inquit, tantùm, ſed omnis fortunæ iniſſe ſocietatem. Hinc eſt illud ænigma de coniugio:

Sũt duo quæ duo ſunt, & ſunt duo quæ duo non ſunt,
Quæ duo ſi non ſunt, ſunt duo nulla duo.

An expediat vxorem percutere. Video hic in quæſtionem venire poſſe, an expediat vxorem cædere? Quam quidem quęſtionem ſoluit Chryſoſtomus Homil. 27, in 1. Corinth. 11. vbi multa præclarè diſſerit de vxorum carnificibus. Mea ſic eſt ſententia, probæ matronę non opus eſſe maiore fuſte, quàm mariti ſubaſpero verbo, aut contracto ac perturbato vultu, ſi ſic neceſſe ſit. Vbi iſta nihil proficiunt, ſed ad verbera deueniendum eſt, væ domui; nec vnquam vir prudens, me ſuaſore, huc deſcenderit. Dãda tamen nõ ſunt fręna impotenti naturæ, & vt Cẽſorius Cato dicere ſolebat, indomito animali; nam vt ſemel pares eſſe cœperint noſtra indulgẽtia, exemplo ſuperiores erunt. Quod ſi vxor ſæpius monita, obiurgata, conuicio impe-

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

impetita, duriorem adhuc ſe exhibeat, quàm flecti vt poſſit modò integrè habeat pudicitia, feratur, nec rumpendus eſt arcus nimium tendendo. Vult enim Deus ſic tuam patientiam exerceri ad incremẽta virtutum: tum etiam repures eam conſortem tanquam ſortem tibi obueniſſe, in qua ſorte vt ſine querela acquieſcas, fas iusq; eſt, Quidam pro non exiguo illud beneficio habent, dulce illud fel nõ guſtare, quod ij, qui glutierunt, teſtentur, ita eſſe miſtum & temperatum, vt vni mellis guttæ fellis ſint ſexcentæ infuſæ.

Maritorũ de vxoribus querele.

Auguſtus Imperator Iulias filiam & neptem relegarat, poſt etiam Agrippam, prius adoptatam, poſt ob flagitia & ferox ingenium abdicatam, ad omnem harum mentionem ſolebat exclamare verſu Homerico:

αἴθ' ὄφελον ἄγαμός τε μένειν, ἄγονός τ' ἀπολέσθαι.

O vtinã cælebs vixiſſem, orbusq; periſſem.

Nec aliter illos appellabat, quam tres vomicas, ſeu tria carcinomata ſua; ſuorum enim mortem leuius ferebat quàm dedecora. Quin & teſtamento cauit, ne ſi quid accidiſſet Iuliæ filiæ & nepti, ſepulchro ſuo inferrentur. Vt nunc nihil dicam de Ciceronis ad Atticum querelis frequentiſſimis. Narrat Pontanus lib. 3. de ſerm. c. 17. cùm quidam aliquando ad amicum diuertiſſet, & illius vxorem diutiùs vociferantem rixantemq; cum ancillis parum æquè ferret, conuerſus alter ad hoſpitem: Ecqua inquit, amice, impatientia eſt tua? duos & triginta annos huius clamores dies ac noctes æquiſſimè ipſe perfero, tu verò ne dieculæ quidem ſextantem ferre iam potes? Quo dicto & hoſpitem leniit, & vxorem ab ira reuocauit, ad riſumque conuertit, Sic quidam (vt refert Æneas Siluius lib. 3. de geſt. Alphonſi) cùm ex Cæſaris comitatu domum reuerſus in itinere in amicum incidiſſet, qui vxorem ſuam viuere & benè valere diceret: Si viuit vxor, inquit, ego ſanè obij. Innuens moroſam vxorem mariti mortem eſſe. Neq; enim omnes mariti induere Socratem poſſunt; neque ducendæ vxoris is finis eſt viro, vt patientiæ aſſueſcat tolerandisque clamoribus. Nihilominus ducta ſemel, tenenda & ferenda eſt. Tu ſi conſilium audis, principijs obſtabis, & caſtam morigeramque ab impudica & peruicaci diſcernere diſces. Præit Iacobus Bilius Anthol. 5. lib. 2.

Qua proba dignoſci poſſet, qua fœmina nequam,
Temporibus priſcis cùm nota nulla foret:
Id tulit indignè Dominus: Nam perfida caſta.
Caſtaq; iudicio perfida plebis erat.
Errorem hunc igitur tollens, his ora pudore
Illeuit, quibus eſt chara pudicitia.
At quibus eſt ſtudio Veneris ſcelerata voluptas,
Fecit vt his toto deſit in ore pudor.

Diſcrimẽ inter bonam & malam mulierẽ.

Emblematis autem character videbatur trahendus ad illicitam commiſtionẽ, quia muræna & vipera ſint ſpecierum diuerſarum, quamquam vtraq; è ſerpentum numero. Sed nos id torquere poſſumus ad nuptias, quæ contrahuntur cum exteris; vel ijs, qui ſunt cultus, ſectæque diſparis, quod tamen non permittitur niſi ſub certis cõditionibus: ſcilicet Chriſtiano homini minimè conceditur Iudæam ducere, niſi abiurata primum ſuperſtitione Iudaica, & initiatam ſacris Chriſtianorum, lotãque ſacro Baptiſmi fonte. Id enim eſt euomere virus impietatis. Certè ad contrahendum legitimum coniugium non parui momẽti eſt religionis diſparitas, quod præter cæteros videtur expreſſiſſe Tertullian. ad vxorem lib. 2. Vide Pierium lib. 29. in Muræna. De matrimonij etiam cultu conſule D. Paulum 1. Corinth. 7. & Lactantium 6. diuin. inſtitut. 23.

Diſpa[illegible] ſecta in matrimonio conſideranda.